

1365 provincia erant, novoque illis supplemento addito, in hostes jam moturi erant; quum & ipsi, ingenti hominum manu contracta, Malvicino oppido frustra oppugnato, in Cydonensem agrum effusi, omnia quæ Venetorum colorum erant, ferro ignique sæde populantur. Hæc in maritimis oris. In mediterraneis ad duo millia hostium & quingenti per eos dies circa Argaciam & Melissam confederant. Ad hos Jacobus Bragadinus cum equitibus quadringentis, peditibus mille & quingentis celeriter duxit. Totis hic viribus dimicatum: fusi fugatique insulani, multi in ipsa pugna occubuerunt, sed plures vivi in victoris potestatem venerunt, qui ad unum omnes suspendio necati sunt: reliqui fuga dilapsi, in proximos montes trepide abierunt. Suburbana inde & vicos hostium Venetus comburit: fruges & quæcunque in agris erant corrumpit. In hoc statu res erant, quum repente quindecim vicorum coloni ad hostes defecere: qui ne in agris opprimerentur, Lasithos cum conjugibus & liberis ingressi, a principibus defectionis præsidium acceperunt. Secuti hanc defectionem alii plerique, qui Lasithos, ut & ipsi in tutiore loco essent, commigrarunt. Interim Græcorum vires ita invaluerant, ut non solum suis finibus injuriam arcerent, sed multitudine freti ultro eorum agros, qui in Venetorum fide erant, subitis incursionibus sædaque populatione vastarent. Candacenses ad id fines tumultuose ingressi, omnia metu & terroribus complevere, vicis plerisque suburbanis subito incursum aut direptis aut incensis. Petrus Mocenigus quum cerneret totam fere insulam eodem furore contactam, partim jam defecisse, partim ad defectionem spectare, nec cum hoste, qui altioribus se locis tenebat, pugnandi copiam fieri, copias quascunque habuit Candacem eo consilio reduxit, ut urbi præsidio esset, & hostium populationes inhiheret. Scripsit præterea ad Principem & Patres, in quo res Cretenses essent statu: majoribus copiis opus esse dicere, si hostium perfidiam domitam quandoque vellet; ægre se & collegas quingentos Asiaticos equites contraxisse: sed longe alio equitatu, majoreque peditum robore,